DE MIRACVLOSIS SPECIEBVS CARNIS & ſanguinis EX SPECIEBVS PANIS & vini S.mi EVCHARISTIAE Sacramenti.

AD S. D. N. D. SIXTVM V. PONT. OPT. MAX.

AVCTORE COSMO PHILIARCHO Piſtorienſe Canonico, & Theologo Florentino.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VENETIIS, M D LXXXVII.

S· D· N· D· SIXTO V.
Pont. Opt. Max.

CVM de miraculoſis ſpeciebus carnis & ſanguinis ex ſpeciebus panis & vini Sanctiſſimi Euchariſtię Sacramenti non niſi ab aliquibus ſcholaſticis obiter tractetur, & nullus de illis (quod ſciam) proprius tractatus exiſtat, & ſcholaſticorũ volumina à paucis voluantur, vtile iudicaui, omiſſo longiori tractatu, quem de illis diſputando compoſui, hoc illius compendiolum ad publicam vtilitatem S. V. auſpicijs in lucem edere, idque eo magis, quia huiuſmodi miraculoſæ ſpecies in multis locis reperiuntur & conſeruantur, & non ita facile ab omnibus perpenditur maxima differentia quæ eſt inter ſpecies carnis tranſeuntes & permanentes: nam omnes quidem ſunt adorandæ adoratione latrię, ſed tranſeuntes vt ſub illis etiam verum Chriſti Corpus ſacramentaliter exiſtens, permanentes vero vt reliquiæ: ex cuius differentiæ ignorantia facile etiam aliqui in errorem labuntur, vt credant corpus Chri-

ſti ſub illis ſpeciebus carnis, quæ ſub claue à multis etiam ducentis & quingentis annis conſeruātur, realiter eſſe eo modo, quo erāt ſub ſpeciebus panis ex quibus factę fuerunt: imo aliqui ſimplices credunt carnem illam eſſe ipſammet Chriſti carnem viſibilem ſub claue cōſeruatam, & diuturnitate temporis denigratam, neſcientes quanam alia ratione illæ ſpecies ſint ſumma religione & adoratione conſeruandæ & adorandæ: quę in hoc meo opuſculo S. V. dicato fuſius explicaui. Hilari igitur quo ſoles vultu B. P. has meas lucubratiunculas ſuſcipito: & Deum precor vt ad multos annos S. V. eccleſiæ ſuæ incolumem conſeruet.

Stratus ad Sanctiſſ. Pedes B. V.

Humillimus ſeruulus

Coſmus Philiarchus.

DE MIRACVLOSIS SPECIEBVS CARNIS & ſanguinis EX SPECIEBVS PANIS & vini Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti,

AD S. D. N. D. SIXTVM V. PONT. OPT. MAX.

AVCTORE COSMO PHILIARCHO Piſtorienſe Canonico, & Theologo Florentino.

1 LICET Chriſtianæ religionis myſteria tanquá diuina ſint incompręhenſibilia, & à nobis cognoſci non poſſint niſi ſola fide, quibus ob id dicitur: Niſi credideritis, non intelligetis. &c. ob eandem cauſam ab Apoſtolo admonemur vt intellectum noſtrum in obſequium Chriſti

captiuemus, nihilominus ita fuerũt à Deo confirmata, vt ſint omnibus euidenter credibilia, & illa negare ſit extremæ temeritatis & dementiæ: quod admirans Propheta ad Deum conuerſus exclamauit, dicens: Teſtimonia tua Domine credibilia facta ſunt nimis, Et hoc maxime videmus in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, vbi panis & vini ſubſtantia vi verborum in verum Chriſti Corpus & ſanguinem tranſubſtantiatur: de quo cum ipſemet Chriſtus loqueretur, & diceret: Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro ſeculi vita. &, niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Multi audientes ex diſcipulis eius, dixerunt: Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire? & multi diſcipulorum eius abierunt retro, & iam non cum illo ambulabant. Et vtinam noſtris etiam temporibus non eſſent qui iſtos ſequantur. Huius tamen Sacramenti veritas tot tantisque argumentis ſignis & miraculis comprobata fuit, & quotidie comprobatur, vt nullus prorſus remanſerit dubitandi locus. Inter alia innumera miracula, illud eſt quod frequentiſſime ad ſenſum patuit, & viſibiliter in multis locis ſeruatur, quod ſcilicet ſpecies panis cõſecrati virtute diuina viſibiliter conuerſæ ſunt in ſpecies carnis, ſimiliter & ſpecies vini in ſpecies ſanguinis, in ſignum quod vi conſecrationis ſub ſpeciebus panis & vini non remaneant propriæ

eorum ſubſtantiæ, ſed ſint in verum Chriſti Corpus & ſanguinem conuerſæ. Quæ ſpecies carnis ex ſpeciebus panis miraculoſe in confirmationem huius Sacramenti factæ, ſicut in multis locis reperiuntur, ita etiam ſumma reuerentia, & magna populorum religione vbique ſeruantur, ad illos adorandas confluunt populi, dies illi quibus factæ fuerunt ſingulis annis vt celebres & feſtiui in illis locis habentur, proceſſionaliter feruntur, ante illas populi ſupplices proſternuntur, vt illas adoratione latriæ, eo modo quo Crucem Spinas & Clauos, adorent, & bene: nam iſtæ ſpecies carnis debent ſumma religione ſeruari, & adoratione latriæ adorari, de quo dubitari non poteſt. Sed quod aliquando in dubium vertitur eſt, an ſub illis ſpeciebus carnis remaneat Corpus Chriſti eo modo quo erat ſub ſpeciebus panis.

2 Et cum mihi aliquando fuerit oblata occaſio de huiuſmodi quæſtione diſputandi, id feci & verbis & ſcriptis, & quia diſputando magis eluceſcit veritas, dum hinc inde multa obijciuntur & obiecta ſoluuntur, ex his diſputationibus duplex reportaui cõmodum: nam in mea ſententia magis ſum confirmatus, in eam etiam ſpem veni vt credam hoc meum opuſculũ vtile fore ſi in lucem edatur, vſque eo magis, quia nullus hucuſque fuit qui ex profeſſo hanc quęſtionem tractauerit, ſed aliqui Doctores pauca & obiter de illa dixerunt, fuſius quidem de

hac materia ſcripſi:& contrariæ ſententiæ fundamenta, & argumenta necnon ſolutiones meis argumentis datas diligenter examinaui, & pro ea quam ſequor ſententia argumenta multiplicaui:ſed quia non contendere, nec diſputare, ſed prodeſſe cupio hoc poſtea opuſculum,quod eſt illius longioris tractatus compendium,pro maiori veritatis elucidatione ad publicam feci vtilitatem.

3 Non defuerunt qui dicerent, quod illa caro, quæ viſibiliter apparet, & in multis locis à multis annis ſeruatur,ſit ipſamet Chriſti caro in propria ſpecie localiter, & viſibiliter apparens, quam ſententiam communiter tenent ſimplices, & ignari, ſed cum ſit manifeſte falſa,quia ſæpe fruſtrum carnis apparet, quæ etiam eſt paſſibilis, & corruptibilis, & tandem denigratur, & corrumpitur,in illius impugnatione non immorabimur: hac ergo ſententia relicta dicimus, quod ſi eſt ibi Corpus Chriſti,non eſt viſibiliter apparens, ſed eſt ſub illis ſpeciebus latens,ſicut erat ſub ſpeciebus panis,ex quibus ſunt illæ ſpecies carnis.

4 Pro quo notandum eſt, quod iſtæ apparitiones ſunt in duplici differentia, quædam per modum tranſeuntis ad modicum tempus, quæ poſtea diſparent, & apparet hoſtia ſicut prius: quædam ſunt permanentes. Et vt prius loquamur de tranſeuntibus dicimus, quod in omnibus apparitionibus tranſeuntibus etiam ſi ſint

ex parte hoſtiæ conſecratæ, verè eſt Corpus Chriſti: & probatur, quia iſtæ apparitiones tranſeuntes dupliciter fieri poſſunt. Primo ex parte videntium, quorum oculi ita immutantur, ac ſi expreſſe viderent exterius carnem, vel ſanguinem, vel puerum, nulla facta mutatione ex parte Sacramenti; & quando ſic fiunt certum eſt remanere Corpus Chriſti, cum nulla ſit facta mutatio ex parte ſpecierum panis, vel vini. Secundò poſſunt etiam fieri ex parte Sacramenti: ſed communiter fiunt priori modo. An autem aliquando ſic fiant, nolo modo diſputare, ſatis eſt, quod non repugnat: & talis videtur fuiſſe illa, de qua legitur in vita Sancti Gregorij: & dico, quòd ſi ſic etiam fiunt, ſub illis ſpeciebus carnis, & ſanguinis remanet Corpus Chriſti, quia ſolum fit mutatio circa accidentia communis panis, vel vini, puta figuram, & colorem, & remanent propria accidentia panis, vel vini, eorum formas conſequentia: & quod remaneant ex eo patet, quia iſtæ apparitiones ſunt ad modicum tempus, & ſtatim iterum apparent ſpecies panis, vel vini, ſicut prius erant, vt ſumantur.

5 Sed difficultas eſt de ſpeciebus carnis permanentibus, quæ etiam à multis annis in multis eccleſijs reperiuntur, & ſub claue conſeruantur, de quibus duæ ſunt præcipuæ ſententiæ. Prima eſt quam ſequemur, quòd ſub illis ſpeciebus non eſt Corpus Chriſti. Secunda eſt,

quod ſub illis ſit Corpus Chriſti ſicut erat ſub ſpeciebus panis vel vini. Duobus autem modis aſſeri poteſt ſub illi ſpeciebus carnis eſſe Corpus Chriſti. Primus eſt, vt ibi ſit vi Sacramenti, quia ſub illis ſpeciebus carnis remanent propria panis accidentia. Secundus, quod ſub ſpeciebus carnis non remaneant propria panis accidentia, & conſequenter ſub illis non ſit Corpus Chriſti vi ſacramenti, ſed ex diſpenſatione diuina. Et ſi probabimus neutro modo ſub illis eſſe, conſequenter nullo modo ſub illis erit, cum non appareat alius modus.

6 Egidius propoſitione 23. & 24. ſequitur ſecundum modum, & dicit, Corpus Chriſti eſ-
1 ſe ſub illis ſpeciebus ex diſpenſatione diuina.
Sed hæc diſpenſatio nullibi habetur, & ad fi-
2 nem miraculoſæ apparitionis, qui eſt oſtendere veritatem tanti Sacramenti, non eſt neceſ-
3 ſaria, ſed ſufficit ipſa ſpecierum miraculoſa conuerſio: Imò repugnat miraculoſæ apparitioni, quia apparitio, quæ facta eſt, vt medium ad probandum Euchariſtiæ Sacramentum eſſet,
4 vt terminus, ſi etiam ſub illis ſpeciebus eſſet Corpus Chriſti, Repugnat ipſi Euchariſtiæ Sacramento: nam cum fiat ad augendam eiuſdem Sacramenti venerationem, illæ ſpecies carnis
5 magis venerarentur tanquam miraculoſæ, & non ita communes, & frequentes. Repugnat etiam ipſi Chriſto (non ſumimus modo repugnantiam, vt contradictionem, ſed vt indecen-

tiam quandam importat) nam ſi ex diſpenſa-
tione diuina eſt ſub illis ſpeciebus miraculosè
ad infidelitatem tollendam factis, ne decipia-
mur, tandiu ſub illis debet eſſe quodammodo
alligatus, quãdiu perſeuerant illę ſpecies, etiam
ſi per ducentos, & quingentos annos durent,
6 & etiam ſi indecenter ſeruentur, vel illas de-
bet miraculoſe corrumpere. Sacramentalis
etiam præſentiæ Chriſti duas ſolùm ab ipſo
Chriſto, & ab Eccleſia, & à Sanctis rationes
habemus, vt ſit verum Sacrificium incruentum
in memoriam Sacrificij cruenti, & vt ſit cibus
animæ: at quod Chriſtus ſub illis ſpeciebus ſa-
cramentaliter ex diſpenſatione exiſtat non per-
7 tinet, nec ad rationem Sacrificij, nec ad ratio-
nem cibi. In materia etiam & forma Sacramen
torum nulla eſt aſſerenda diuina diſpenſatio ſi-
ne expreſſa ſacræ ſcripturæ, vel Eccleſiæ aucto-
ritate, hæc autem diſpenſatio non eſt in effectu
Sacramenti ſine Sacramento, ſed eſt in ipſa
materia Sacramenti, vt ſit Sacramentum ſub
8 alia materia, in quo Deus non diſpenſat. Acce-
dit etiam, quod hæc diſpenſatio apud infideles
debilitat argumentum ex miraculoſis ſpecie-
bus ſumptum, quibus maxime fiunt ſigna, &
miracula: nam ſi eis dicatur, quod in ſignum
realis præſentiæ Corporis Chriſti ſub hoſtia
conſecrata, Deus illius ſpecies mutauit in ſpe-
cies carnis, admirantur factum, & diſponun-
tur ad credendum. at ſi eis dicatur, quod Cor-

pus Chriſti eſt etiam ſub illis ſpeciebus carnis, in eorum infidelitate magis obſtinati redduntur, quia eque difficilè eſt credere, quod ſit ſub illis ſpeciebus carnis, ſicut ſub ſpeciebus panis, & intellectus, qui ſignis longè inferioribus ad credendum diſponitur, & eleuatur, dum alia æque difficili ratione perſuadetur, magis deprimitur, & rei difficultate obtenebratur, idque eo magis, quia quod ſit ſub ſpeciebus carnis ſine ſufficienti ratione, aut auctoritate aſſeritur: nam Egidius debiliſſimæ innititur rationi, quia ſcilicet populus facilè credere poſſet Chriſtum ibi eſſe, & illum ibi præſentem adorare, & ne decipiatur, & idolatriam committat propter miraculoſam ſpecierum apparitionem voluit ſub illis eſſe. Si hæc eſſet ſufficiens ratio, ſequeretur, quòd de diuinis myſterijs iudicandum eſſet ex populi capacitate, ſeu potius ignorantia, & temeritate, & dicendum eſſet, quòd Deus potius eorum ignorātiæ ſe accommodat, quàm quòd de veritate ſint inſtruendi, vt captiuent intellectum in obſequium fidei. Sic etiam dicendum eſſet, quòd ſi Sacroſanctum Chriſti Corpus in aliquem indecentem locum proijceretur, vel traderetur alicui ab homine, ex diuina diſpenſatione detineret eſſe ſub illis ſpeciebus panis, quia de hoc populus maximè ſcandalizaretur. Imò propter hanc Egidij rationem à contrario ſenſu neganda eſſet hæc diuina diſpenſatio, quia poſſet eſſe occaſio mul-

torum errorũ,& idololatriæ: nam poſſet credi, ſicut aliqui ſimplices credunt,quòd illę ſpecies eſſent ipſamet Chriſti caro: hinc etiam facilè crederent corpus Chriſti non eſſe glorioſum, ſed eſſe ſicut viſibiliter apparet: illæ etiam ſpecies adorarentur latria non vt ſpecies, & ſigna, quomodo ſunt adorandæ,ſed vt ipſamet Chriſti caro. Hæc Egidij ſententia ab omnibus hac ſola ratione meritò reijcitur, quia diuinam diſpenſationem ſine neceſſitate, & ſine auctoritate inducit.

7 Secunda ſententia eſt, quòd Corpus Chriſti ſit ſub iſtis miraculoſis ſpeciebus non ex diſpenſatione diuina, vt dixit Egidius, ſed vi Sacramenti quandiu remanent eædem dimenſiones panis, quia illis remanentibus remanent etiam propria panis accidentia, & conſequenter remanet Corpus Chriſti. Iſta ſententia videtur S. Thom. 3.p.q.76.ar.8. dixi videtur,quia credo intelligendum eſſe de apparitionibus tranſeuntibus, vt dicemus, ſed quia aliqui id quod ibi dicit S.Thom.extendunt etiam ad iſtas ſpecies permanentes, quæ à multis annis ſub claue ſeruantur, & pro hac ſententia obſtinatè decertant, quam falſam eſſe putamus, ideo contra illam hanc ſtatuimus concluſionem. Corpus Chriſti non eſt ſub iſtis ſpeciebus carnis permanentibus vi Sacramenti. Et antequam ad huius noſtrę concluſionis probationem deſcendamus contrariam illorum ſententiam fideliter

explicabimus,& in quo cum illis conueniamus in quibuſve differamus.

8 Præſupponunt vnum fundamentum certiſſimum ex S. Thō. 3.p.q.77.ar.4. quòd Corpus Chriſti tandiu remanet in Euchariſtiæ Sacramento quandiu remanent ſpecies panis, ſeu vini, & quòd nòn per quamcunque ſpecierum panis & vini alterationem deſinit ſub illis eſſe Corpus Chriſti: ſed tunc deſinit ſub illis eſſe, quando ſic mutantur, quòd ſubſtantia panis, ſeu vini, ſi adeſſet corrumperetur; Quod fundamẽtum nos etiam cum illis præſupponimus, & ab eo nullo pacto recedere licet. Ex quo fundamento quando petitur ab illis, an ſub iſtis ſpeciebus carnis permanentibus factis ex ſpeciebus panis remaneat Corpus Chriſti, reſpondent, quòd ſi remanent propria panis accidentia, remanet Corpus Chriſti. Sed quomodo cognoſcemus remanere propria panis accidentia, cum non appareant niſi accidentia carnis? Reſpondent per hoc, quòd remanent eædem panis dimenſiones, quæ ſunt aliorum accidentium fundamentum, & cum proprijs panis accidentibus habens neceſſariam connexionem, quibus remanentibus conſequens eſt mutationem factam fuiſſe ſolùm circa accidentia communia panis, puta figuram, & colorem,& non circa propria, & Corpus Chriſti ſub ſpeciebus carnis miraculoſe ex communibus panis, accidentibus factis ſine noua diſpenſatione vi Sa-

cramenti remanere, cum remaneant propria panis accidentia ad ſubſtantiæ panis exiſtentiam neceſſaria. Et ſic S. Thom. prædicto art. 8. de miraculoſis apparitionibus, inquit, quod remanentibus eiſdem dimenſionibus, quæ ſunt fundamenta aliorum accidentium remanet vere Corpus Chriſti in hoc Sacramento. Ex quo infert ibidem Caietanus, quod ſi res apparens fuerit tam magnarum dimenſionum, vt ſint incompoſſibiles ſubſtantiæ conuerſæ, (puta ſi conſecrato modico vino in fundo Calicis, vt fieri conſueuit, appareat, & permaneat totus calix magnus plenus ſpecie ſanguinis) tunc non videtur remanere verus Chriſti ſanguis ſub illis ſpeciebus; quoniam non manent dimenſiones vini conuerſi. Et in hoc caſu (inquit) ſpecies ſanguinis ſignificat Chriſti ſanguinem verum contineri ſub ſacramento, & non contineri ſub ſe ipſa.

9 Nos autem conuenimus quidem cum illis in hoc; quod Corpus Chriſti tandiu remanet in Euchariſtiæ Sacramento, quandiu remanent propria panis, & vini accidentia, ſine quibus panis, ſeu vini ſubſtantia ſi adeſſet, conſeruari non poſſet; Sed negamus remanere propria panis, ſeu vini accidentia ſub iſtis ſpeciebus 1
carnis permanentibus, & conſequenter dicimus ſub illis non eſſe Corpus Chriſti. Non eſt igitur quæſtio de nomine: nam in tribus maximè diſſentimus. Primo, quia licet concedamus

ſub ſpeciebus carnis tranſeuntibus remanere propria panis accidentia, & ſolùm circa accidentia communia fieri mutationem, dato quòd conuerſio ſit à parte rei, vnde videmus ſpecies carnis iterum conuerti in ſpecies panis, dicimus tamen panis accidentia non remanere etiam per aliquod breue tempus ſub ſpeciebus carnis permanentibus, quia iſtæ ſpecies carnis habuerunt eſſe quoddam ſubſtantiale, quod naturaliter per multos etiam ducentos, & quingentos annos durat, licèt miraculoſe illud habuerint. Illi autem dicunt etiam ſub ſpeciebus carnis permanentibus remanere propria panis accidentia. Secundò, quòd remaneant propria panis accidentia probant ex eo, quod remanent eædem dimenſiones propter neceſſariam connexionem quam cum illis habent: at nos dicimus poſſe remanere eaſdem prorſus numero dimenſiones ſine proprijs panis accidentibus, cum non ſit inter illa hæc neceſſaria connexio. Tertiò conſequenter dicimus in apparitionibus permanentibus non remanere Corpus Chriſti vi Sacramenti: illi autem è contra dicunt remanere quandiu remanent eędem dimenſiones.

10 Et cum ſic tenentes non concedant Corpus Chriſti eſſe ſub ſpeciebus carnis permanentibus ex diſpenſatione diuina, ſed ratione propriorum accidentium panis, ne multiplicent miracula, tota quæſtio contra iſtos ad natura-

lem rationem reducitur, vt paulo infra: nam licet ſpecies carnis ſint miraculoſe factæ ex ſpeciebus panis, Corpus tamen Chriſti non eſt ſub illis ſpeciebus per nouum miraculum ſecūdùm iſtos, ſed vi tranſubſtantiationis, quia remanent propria panis accidentia, licèt non appareant niſi accidentia carnis: quod autem remaneant; probant, quia remanent eædem dimenſiones, quæ cum illis neceſſariam connexionem habēt. Et hæc propria panis accidentia non remanent ſub ſpeciebus carnis per nouum miraculum, ſed quia ſpecies carnis factæ ſunt ex communibus accidentibus panis, & non eſt facta tanta illarum ſpecierum mutatio, quæ ſufficiat ad corruptionem ſubſtantiæ panis ſi adeſſet.

11 Quare tota difficultas ad hoc reducitur, vt videatur, an ſub iſtis ſpeciebus carnis permanentibus remaneant propria panis accidentia. Et cum propria panis accidentia in illis ſpeciebus carnis non percipiantur, hæc difficultas ad aliam veluti ipſius fundamentum reducitur, an ſcilicet ex hoc, quod remanent eædem dimenſiones, ſufficienter colligatur remanere propria panis accidentia. Ipſi dicunt ſufficienter colligi, quia quantitatis, & aliorum omnium accidētium ſubiectum eſt compoſitum, & ad corruptionem compoſiti corrumpitur eius quantitas, vnde cum remanet eadem quantitas ſignum eſt non eſſe factam tantam ſubiecti alterationem, quæ ad illius corruptionem ſufficiat.

Et conſequenter adhuc remanet idem ſubiectum cum ſuis proprijs accidentibus. Quod autem compoſitum ſit ſubiectum quãtitatis probant, quia materia prima ex ſe nullam habet exiſtentiam, ſed eſt pura potentia, & conſequenter non poteſt eſſe proprium alicuius accidentis ſubiectum, & in rerum corruptione fit reſolutio vſque in materiam primam.

12 Nos autem, vt veritatem radicitus eruamus, dicimus probabiliſſimum eſſe in Philoſophia ex multorum, & Philoſophorum, & Theologorum ſentẽtia materiam primam habere propriam exiſtentiam, ſeu actum entitatiuum, & cõſequenter poſſe eſſe proprium, & immediatum ſubiectum aliquorum accidentium, & ſic eſſe ſubiectum quantitatis, & quantitatem eſſe illi coæuam, ingenerabilem, & incorruptibilem, & in rerum corruptione non fieri reſolutionem vſque in materiam primam: quas ſententias ego quidem credo eſſe veriſſimas, & has philoſophicas quæſtiones in noſtro tractatu veluti fundamentum præmiſimus, & diffuſe tractauimus. Sed illas modo omittimus, quia ad propoſitum noſtrum ſufficit has ſententias eſſe probabiles, & contra illas nullam eſſe demonſtrationem, quod certè illimet, qui contrarias ſequuntur ſententias, negare non poſſunt, cum longe plures ſint, & Philoſophi, & Theologi, qui illas indubitate tenent, & in rei veritate, & de mente Ariſtotelis, ita tenent.

Græci, Arabes, Scotiſtæ, Nominales, & Paucis exceptis cæteri fere omnes.

13 Ex quibus philoſophicis quæſtionibus ad rem noſtram deueniendo ſequitur, quòd cum probabiliſſimum ſit ex multorum, & Philoſophorum, & Theologorum ſententia in rerum corruptione non fieri reſolutionem vſque in materiam primam, ſed remanere quantitatem cum alijs multis accidentibus ex parte materiæ ſe tenentibus, probabiliſſimum etiam eſt quantitatem nullam neceſſariam connexionem habere cum proprijs alicuius ſubſtantiæ compoſitæ accidentibus, ſed illis corruptis ipſam incorruptam, & etiam aliquando ſub eiſdem terminis in genito permanere. Ex quibus etiam ſequitur ex dimenſionibus non poſſe ſumi certum iudicium de proprijs panis accidentibus ſub ſpeciebus carnis, nec conſequenter de reali exiſtentia Corporis Chriſti ſub illis ſpeciebus.

14 Quibus ſuppoſitis probatur Corpus Chriſti non remanere ſub ſpeciebus permanentibus carnis ratione propriorum accidentium panis, & omnia argumenta ex quatuor capitibus deducentur. Primum ex regula vera, & certa S.Thom.3.p.q.77.ar.4. ad iudicandum quandiu in Sacramento remaneat Corpus Chriſti. Secundum ex admiſſione fundamenti de dimenſionibus: Tertium ex debilitate eiuſdem fundamenti. Quartum ex ipſo Sacramento.

15 Primum ergo argumentorum caput ſit ex certiſſima regula quam tradit Sanct. Thom. ad cognoſcendum quando ſub ſpeciebus panis, aut vini deſinit eſſe Corpus Chriſti, quando ſcilicet tanta facta eſt illarum ſpecierum mutatio, quòd deſineret eſſe ſubſtantia panis & vini, ſi adeſſet, & ſit.

Primum argumentum, quia in iſtis ſpeciebus carnis nullum prorſus ſenſibile accidens panis, aut vini apparet: ergo naturaliter non poſſet ſub illis eſſe eorum ſubſtantia: antecedens patet ex ſenſuum experientia, quia nullus erit, qui in illis ſpeciebus quantumuis bene inſpectis, & cõſideratis diſcernat, vel vnum proprium accidens panis. Conſequentia probatur, quia corruptis proprijs accidentibus naturaliter corrumpitur ſubſtantia, cuius ſunt propria: dicuntur enim ad conuertentiam, vt eſt in philoſophia notiſſimum.

16 Ad hoc argumentum ſic reſponſum fuit, quod aliud eſt loqui de Sacramẽtis ſecundùm potentiam Dei ordinariam, quam Deus in illis inſtituit, aliud ſecundùm potentiam Dei qualemcunque, cum nullis legibus abſolute ſubditus ſit. Primo modo ex ſenſibilibus ſpeciebus apparentibus optimum ſumitur iudicium ad cognoſcendum, quando ſub illis eſt Corpus Chriſti, ſed ſi loquamur de Dei potentia quatenus ſupra ordinarias leges operatur, non eſt neceſſarium ſequi iudicium ſenſus, ſed ratio-

nibus potius innitendum eſt: nam ad ſaluandam exiſtentiam Corporis Chriſti in his miraculoſis apparitionibus, in quibus Deus ſupra ſolitum ordinem Sacramentorum operatur, ſufficit quòd remaneat præexiſtens quantitas, quæ eſt accidens primum, & fundamentum aliorum, & præter illam accidentia propria conſequentia formam ſubſtãtialem panis, quæ quidem ſenſibus ignota ſunt, quin & forte etiã intellectui, qui plerunque proprias rerum differentias, ac proprietates ignorat: quæ profecto accidentia remanere poſſunt ſi remanet quantitas præexiſtens, licèt non remaneat ſubſtantia. Hæc enim gerit vicem ſubſtantiæ panis, ac proinde ſuſtentat illa accidentia perinde, ac ſi eſſet ſubſtantia panis.

17 Verum iſta ſolutio non ſatisfacit, & argumentum in ſuo robore perſeuerat; pro quo notandum eſt, quòd illi, qui iſtam ſententiam tenent, volunt Corpus Chriſti eſſe ſub ſpeciebus carnis vi Sacramenti per hoc, quod remanent eædem dimenſiones, & non miraculoſe ex diſpenſatione diuina, vt aſſerit Egidius; ponunt quidem aliquam diſpenſationem, quia Corpus Chriſti ſub ſpeciebus carnis non eſt ſecundum legem ordinariam, ſed ex Dei diſpenſatione, ſimiliter etiam nouum hic aſſerunt miraculum, ſcilicet quòd ex accidentibus communibus panis ſint factæ ſpecies carnis: ſed ſuppoſito hoc miraculo, & hac diſpenſa-

tione de ſpeciebus carnis dicunt Corpus Chriſti eſſe ſub ſpeciebus carnis non per nouum miraculum, nec per nouam diſpenſationem, ſed vi Sacramenti, dicunt inquam Corpus Chriſti eſſe ſub ſpeciebus carnis per aliquam diſpenſationem, quia ſecundùm legem ordinariam eſt ſolùm ſub ſpeciebus panis & vini, ſed non per talem diſpenſationem, quæ excludat vim Sacramenti, quaſi totaliter deſit vis Sacramenti, & ſub illis totaliter ex diſpenſatione perſeueret, ſed diſpenſatio quam concedunt eſt in ſpeciebus carnis ex ſpeciebus panis: & iſta ſuppoſita, dicũt Corpus Chriſti, quod erat ſub ſpeciebus panis, remanere ſub ſpeciebus carnis non per nouam diſpenſationem; ſed vi Sacramenti, quia per hanc conuerſionem ſpecierum panis in ſpecies carnis non eſt facta tanta ſpecierum panis mutatio, quæ ſufficiat ad corruptionem ſubſtantiæ panis ſi adeſſet, quia facta eſt mutatio ſolùm circa accidentia communia, puta colorem & figuram, & non circa propria, & donec fiat tanta mutatio ſemper vi Sacramenti perſeuerat Corpus Chriſti: Et quòd non fuerit facta tanta mutatio probant ex hoc, quod remanent eædem dimenſiones panis, quibus remanentibus propter neceſſariam connexionem, quam habent cum proprijs panis accidentibus colligitur remanere propria panis accidentia, ſed quia Deus hic non operatur ſecundùm legem ordinariam,

quod propria panis accidentia remāſerint non poteſt ſolo ſenſu diſcerni, ſed ſenſu; & ratione ex dimenſionum, ſcilicet identitate.

18 An igitur ſit facta tanta accidentium panis mutatio, quæ ſufficiat ad corruptionem ſubſtantiæ panis ſi adeſſet, ſenſu; & naturali ratione adiuncta diſcernendum eſt; cui ipſi & nos inſiſtimus: nam licèt Deus ſuper legem ordinariam Sacramentorum hic operetur, non tàmen deſtruit naturas rerum, vnde naturali ratione ex ſenſuum etiam iudicio ſumpta, inſiſtendum eſt. Et ipſi quidem probant, quòd non ſit facta tanta ſpecierum mutatio ex naturali dimenſionum connexione cum proprijs accidentibus. Ego autem è contra nego hanc naturalem connexionem, & illa etiam conceſſa, probo, quòd ſit facta tanta mutatio, & quòd conſequenter ſub illis ſpeciebus carnis non ſit Corpus Chriſti vi Sacramenti, per regulam ſuperius ex S. Tho. aſſignatam.

19 Et vis huius primi argumēti ex ſenſuum iudicio huic rationi innititur, quia rerum ſubſtantiæ à nobis cognoſci non poſſunt niſi per earum propria accidentia, & licèt habeant multas proprietates occultas, & aliquarum ſubſtantiarum proprietates maximè propriæ ſint nobis ignotæ, habent tamē multa accidentia, quæ licèt ſingula ſint communia, ſimul tamen iuncta ſe habent, vt proprium, & eis cognoſcitur, & diſcernitur ſubſtantia rei, & ſine illis natu-

raliter rei ſubſtantia conſeruari nō poteſt, cum æquiualeant proprio, & illi gradus ſubſtantiales ſpecifici, ſeu generici, qui nobis non innoteſcunt per aliquod eorum accidēs proprium, vel per accidentia communia, quæ ſimul iuncta habeant rationem proprij accidentis, nullo modo à nobis cognoſci poſſunt; hæc doctrina eſt Ariſto. 1. de Anima. tex. 39. & de Mem. & rem. & de ſenſu & ſenſibus, vbi docet intellectum nihil poſſe intelligere ſine ſenſu, & neceſſarium eſſe intelligentem phantaſmata ſpeculari, & lib. 3. de Gen. anim. cap. 10. dicit relinquendam eſſe rationem, quando ſenſus contrarium oſtendit. Sed panis & vinum ſunt ſubſtantiæ omnibus notiſſimæ; ergo præter proprietates occultas debent habere accidentia propria, vel aliqua accidentia communia ſimul iuncta, vt propria, & naturaliter inſeparabilia omnibus notiſſima, quibus cognoſcantur, & ab alijs diſcernantur. Sed iſta accidentia propria panis vel vini, in ſpeciebus carnis miraculoſe per modum permanentis apparentibus nullo prorſus modo percipiuntur: ergo eſt impoſſibile, quòd ſub illis naturaliter poſſet perſeuerare ſubſtantia panis ſi adeſſet, quia aliàs tota philoſophia rueret, nec vlla eſſet nobis certa via cognoſcendi rerum ſubſtantiā: Deus autem in his miraculoſis conuerſionibus non deſtruit naturam. Dicent, quod dimenſiones nobis, qui ſcimus miraculoſam conuer-

ſionem ſunt ſigna, & accidentia propria panis. Sed hoc nihil eſt. nam dimenſiones ſunt accidentia communia, & illæ ſolæ non ſufficiunt ad indicandam aliquam particularem ſubſtantiam: accidens enim quod particularem ſubſtantiam indicat, vt illius proprium debet eſſe ab alijs aliarum ſubſtantiarum accidentibus diſtinctum. Præterea iſtæ dimenſiones modo ſunt dimenſiones carnis, quod autem fuerint panis, non ex ipſis, ſed ex priori inſpectione, vel traditione habemus.

20 Secundum argumētum quo ex eodem fundamento probatur propria panis accidentia naturaliter eſſe non poſſe ſub illis ſpeciebus carnis permanentibus, & conſequenter ſub illis non eſſe Corpus Chriſti vi Sacramenti ratione propriorum panis accidentium. Et argumentum eſt tale. Sicut ſe habet vna ſubſtantia ad aliam ſubſtantiam, ita ſe habent proprietates illius ſubſtātiæ ad proprietates alterius ſubſtantiæ, ſed duæ ſubſtantiæ diſparatæ, & incompatibiles naturaliter non poſſunt eſſe ſimul ſub eiſdem dimenſionibus: ergo neque etiam earum proprietates. nam proprietates dicuntur ad conuertentiam cum proprijs ſubſtantijs imò etiam maior eſt repugnantia inter proprietates: nam ſubſtantia non contrariatur ſubſtātiæ, ſicut proprietas proprietati, ſed ſubſtantia panis, & ſubſtantia carnis ſunt incompatibiles, ita vt impoſſibile ſit, quòd idem

ſit panis, & caro: ergo eorum etiam propria accidentia ſunt incompatibilia, & impoſſibile eſt, quod ſimul ſint propria panis, & carnis accidentia. Sed in miraculoſis ſpeciebus carnis permanentibus eſt eſſe ſubſtantiale carnis cum ſuis proprijs accidentibus: ergo ſub illis ſpeciebus carnis non poſſunt eſſe propria, & neceſſaria panis accidentia, & per conſequens ſub illis ſpeciebus carnis non eſt Corpus Chriſti ratione propriorum panis accidentium.

21 Tertium argumẽtum ex eodem fundamento ſit. Iſtæ ſpecies miraculoſæ carnis, quæ permanenter apparent, durant per multos annos, ducentos, quingentos, & eo amplius. At certum eſt, quod ſpecies panis non ſolùm, non poſſunt naturaliter conſeruari per multos annos, ſed nec etiam per multos menſes, & multo minus paruæ ſpecies vini, quæ infra paucos dies corrumpuntur, vt experientia docet: ergo naturaliter eſt impoſſibile, quod ſub iſtis ſpeciebus carnis tandiu conſeruentur propria panis accidentia, & multo magis eſt impoſſibile, quòd ſub ſpeciebus carnis, ex ſpeciebus vini factis (vt earum narrat hiſtoria) anno 1230. quas adhuc ſeruari audiui, & vidi, perſeuerent propria vini accidentia: ergo eſt etiam naturaliter impoſſibile, quod ſub illis ſpeciebus carnis poſſet perſeuerare ſubſtantia panis vel vini, ſi non eſſet conuerſa in Corpus Chriſti. Et confirmatur, quia ſi non poſſet panis ſeu vini ſub-

ſtantia diu conſeruari ſub proprijs, & naturalibus accidẽtibus, quomodo poterit per tot annos conſeruari ſub extraneis, & incompatibilibus? Ergo nullo modo aſſerendum eſt, quod ſub iſtis ſpeciebus carnis vi Sacramenti ratione propriorum panis ſeu vini accidentium perſeueret Corpus Chriſti. Si autem dicatur propria panis ſeu vini accidentia perſeuerare miraculoſe, iam multiplicantur miracula ſine neceſſitate, & ex propria ſententia tranſitur in ſententiam Egidij.

22 Siſtamus hic aliquantulum, & pro rei veritate examinemus ſolutiones, quæ dantur ad hæc tria argumenta. Et contra primum & ſecundum argumentum obijcitur, quod ego mihi contradicam: nam ſuperius dixi in apparitionibus tranſeũtibus remanere Corpus Chriſti etiam ſi iſtæ apparitiones ſint à parte rei per realem ſpecierum panis conuerſionem in ſpecies carnis, quia ſub illis ſpeciebus carnis remanent propria panis accidentia, nunc autem aſſero, quòd ſub ſpeciebus carnis permanentibus non remanent propria panis accidentia; idque probo ſenſuum iudicio, & quia ſunt incompatibilia cum proprijs carnis accidẽtibus, at eadem videtur earum ratio, nam etiam in tranſeuntibus ſenſus nullum percipit propriũ accidens panis, & ſicut non repugnat propria panis accidentia eſſe ſub ſpeciebus carnis tranſeuntibus, ita nec ſub permanentibus.

Reſpon-

23 Reſpondetur nullam eſſe contradictionem; quia non eſt eadem ratio de apparitionibus tranſeuntibus, & de permanentibus: nam dato quòd apparitiones infra modicũ tempus tranſeuntes ſint aliquando à parte rei, cum nõ repugnet, in iſtis non acquiritur eſſe ſubſtantiale carnis, ſed ſolùm quoddam eſſe accidentale, & fit immutatio ſolùm circa accidentia communia, puta figuram, & colorem, vt videatur caro, & præter dimenſiones remanent accidentia propria ſenſibilia panis, aut vini, eorum formas conſequentia, ſine quibus non poſſet eſſe eorum ſubſtantia ſi adeſſet odor, ſcilicet & ſapor, & eis remanentibus conſequenter remanet Corpus Chriſti, & licèt non fas ſit illas ſpecies miraculoſas guſtare, credendum tamen eſt ſi mutatio ſit ex parte ſpecierum, quòd remanſerint, cuius efficax ſignum eſt, quia ſtatim iterum apparent ſpecies panis, ſicut prius, vt ſumantur, & hoc nouum miraculum ſi mutatio eſt à parte rei, non eſt ſuperfluum, nam eſt efficacius ſignum realis exiſtentiæ Corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis, quia vt immutatio realis ab omnibus videtur, manibus id, quod apparuit aſſumitur, & omnibus circunſtantibus oſtenditur, vt verum quid & reale, ſicut legitur de apparitione facta precibus San. Gregorij, & dum iterum apparent ſpecies panis efficacius ſignificat præſentibus Corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis quam ſi permane-

ret eadem caro. At in apparitionibus permanentibus acquiritur nouum eſſe ſubſtantiale incompatibile cum ſubſtantia panis, & proprijs eius accidentibus, quod eſſe vocamus carnem, quia cum carne ſimilitudinem habere videtur (dubitari autem poſſet, an ſit vera caro, cum per quingentos, & mille etiam annos duret: ego quidem credo eſſe veram carnẽ, nam licet caro facile corrumpatur, videmus tamen, quòd etiam naturaliter virtute balſami præſeruatur à corruptione, & quod Deus multa corpora Sanctorum, vel integra, vel aliquas eorum partes ad eam temperiem miraculoſe reduxit, & tale eſſe eis tribuit, vt incorrupta in illo eſſe diu perſeuerent.)

24 Eſt ergo diuerſa iſtarum apparitionum ratio. Primo, quia in tranſeuntibus acquiritur eſſe accidentale ſpecierum carnis ex accidentibus communibus panis, cui non repugnat eſſe ſubſtantiale panis, vt patet ex pictura: at in permanentibus acquiritur eſſe ſubſtantiale carnis incompatibile cum ſubſtantia panis, & proprijs eius accidentibus. Secundo in apparitionibus tranſeuntibus immutatur viſus, vt videatur caro, ſed non immutatur guſtus, & odoratus, & viſus immutatur ad maiorem fidei confirmationem, qui etiam ſtatim corrigitur, vnde ex illis nulla ſequitur in philoſophia repugnantia, quia adhuc ex ſenſibus patet via cognoſcendi propria panis acciden-

tia, & quia viſus ſtatim corrigitur, & ſæpe vidèmus naturaliter viſum immutari, vt cum ratione medij iudicat res alterius coloris. At in apparitionibus permanentibus nulla eſt ſenſuum deceptió, quia illæ ſpecies acquiſiuerunt illud eſſe ſubſtantiale, quod ſenſus iudicat, vnde nullo vnquam ſenſu percipitur proprium accidens panis, vt ex illo poſſit iudicari, quòd ſubſtantia panis perſeueraſſet, nec ſenſus aliquando corrigitur, quare ſi immutaretur perpetuò immutatus eſſet, nec vlla eſſet via ad illum corrigendum, quòd philoſophiæ, & naturali rationi repugnat. Tertiò cum apparitiones tranſeuntes ſint ad modicum tempus, propria panis acc dentia naturaliter poſſunt per illud tempus, & amplius durare, at caro miraculoſa, quæ permanenter apparet durat etiam naturaliter per ducentos quingentos, & mille annos, panis verò ſubſtantia cito corrumpitur, & conſequenter propria eius accidentia non poſſunt per tantum temporis naturaliter conſeruari, & in hoc Sacramēto vi Sacramenti quoad eorum durationem non præſeruantur à corruptione, ſed eorum naturali diſpoſitioni relinquuntur: eſt igitur longe diuerſa ratio, nec vlla eſt prorſus repugnantia.

25 Ad hanc ſolutionem, & ad ſecundum argumentum reſponſum fuit, quòd ſpecies carnis permanentes non habent eſſe ſubſtantiale, ſed tantum accidentale ex colore, & figura panis

circa

circa dimenſiones panis, quæ remanent cum proprijs panis accidentibus, ſed velata ſpeciebus carnis. Sed quòd iſtæ ſpecies permanentes habeāt eſſe ſubſtantiale patet tum ex earum inſpectione, quia habent tale eſſe, quod naturaliter durare poteſt per multos annos, nam eſt ſiccum aridum, & ſimile alijs, quæ ſine miraculo diu conſeruantur: tum etiam quia per multos annos etiam quingentos cōſeruantur, ſi autem haberent eſſe accidentale fundatum ſuper proprijs accidentibus panis, non poſſent diu conſeruari, ſed infra paucos menſes corrumperentur, ſicut videmus corrumpi ſpecies panis.

26 Reſponſum fuit, quod illæ ſpecies carnis conſeruantur virtute diuina. Sed contra arguitur. Primò, quia illæ ſpecies carnis diuturnitate temporis patiuntur, denigrantur, & niſi bene conſeruentur corrumpuntur, ex quo patet, quod earum eſſe non eſt accidentale virtute diuina conſeruatum, ſed ſubſtantiale ſuæ naturali diſpoſitioni (licet ſupernaturaliter acquiſitæ) quo ad durationem derelictum, vnde videmus, quod paulatim patiuntur, & ad corruptionem diſponuntur: corrumperentur quidem etiam ſi haberent eſſe accidentale, ſed citius iuxta naturalem earum diſpoſitionem: ſed dicere, quòd vltra naturalem earum diſpoſitionem à Deo miraculoſe conſeruentur, & nihilominus ſint à nobis diligenter cōſeruandæ,

quia aliàs paulatim iuxta earum naturam corrumperentur, nòn videntur cohęrere.

27 Secundò, quia ſic reſpondens incidit in eadem, & maiora incōnuenientia ad quæ euitanda dicit, Corpus Chriſti eſſe ſub ſpeciebus carnis vi Sacramenti ratione propriorum panis accidentium, & non ex diſpenſatione diuina, ne ſcilicet vnum diſpenſationis diuinæ miraculum ſine neceſſitate ponat, & ipſe hac ſua opinione cogitur multa gratis concedere miracula, quibus hoc Sacramentum ad credendum difficilius redditur, & infidelium irriſionibus magis exponitur. Vnum eſt hic miraculum certum, quod negari non poteſt, conuerſionis ſcilicet accidentium panis in ſpecies carnis. Sed præter hoc ponit alia quatuor. Primum eſt conſeruationis iſtarum ſpecierum carnis per tot annos: nam iſtæ ſpecies vi miraculoſæ conuerſionis non præſeruantur à corruptione, ſicut nec ſpecies panis vi cōſecrationis, ergo ſi eſſe iſtarū ſpecierum carnis eſt accidentale fundatum in accidētibus panis, quæ cito corrumpuntur, non poſſunt iſtæ ſpecies diu naturaliter conſeruari, & tamen experientia videmus quòd durarunt per ducentos, & quingentos annos, & adhuc durant: ergo ſi conſeruantur, nouo & continuo miraculo conſeruantur, & non vi miraculoſæ conuerſionis: ſicut ſpecies panis, quando præſeruantur ab igne, non vi tranſubſtantiationis, nam aliàs ſemper præſer-

uarentur, ſed nouo miraculo præſeruantur, quod miraculum in ſpeciebus carnis gratis, & ſuperflue ponitur, tum quia eſſe iſtarum ſpecierum apparet tale, vt diximus, quod naturaliter ei conueniat tandiu durare, tum etiam, quia hoc miraculum non ponitur in ſpeciebus panis, & quando in illis fit nō poſſunt ab agente naturali corrumpi, quare maius hic eſſet miraculum, & illas etiam diuina virtute miraculoſe conſeruante denigrarentur, & ab agente naturali paulatim, & totaliter etiam corrumperētur. hoc etiam miraculum conſeruationis ponit ex parte ſpecierum carnis, & tamen ſecundùm rerum naturæ ordinem debuiſſet illud ponere ex parte accidentium panis, in quibus dicunt illas ſpecies fundari: nam virtus conſeruandi debet poni ex parte illius, quod ſuſtentat, & non ex parte illius, quod ſuſtentatur.

28 Secundum miraculum ponit in reſponſione ad tertium argumentum, nam dicit, quòd propria panis accidentia diutius conſeruantur ſub extraneis carnis accidentibus, quam ſub proprijs, quia ſub extraneis operatur ſupernaturalis virtus non autem ſub proprijs, quia naturali diſpoſitioni relinquuntur abſque ſupernaturali actione; quod autem propria panis accidentia diutius conſeruentur ſub ſpeciebus carnis, quam eorum naturali diſpoſitioni relicta, non eſt vi conſecrationis, vt diximus, nam vi conſecrationis ſunt quidem ſine ſubiecto,

ſed non præſeruantur vltra eorum naturalem diſpoſitionem à corruptione, ſi ergo ſub ſpeciebus carnis diutius conſeruantur, eſt per nouum miraculum, quod miraculum minime conuenit, & nullo modo eſt aſſerendum, nam ad quid miraculoſe conſeruantur cum non appareant? dicet, vt ſub ſpeciebus carnis eorum ratione vi Sacramenti perſeueret Corpus Chriſti. Sed vlterius peto, vel hoc fit propter Deũ, vel propter nos, non propter Deum, quaſi aliter Corpus Chriſti non poſſit eſſe ſub nouis ſpeciebus, quia eſt infinitæ virtutis, nec etiam propter nos, quia ſi conſeruantur propter nos eſt, vt ſint nobis ſignum, & Sacramentum, ſed cum non appareant, (non enim percipimus niſi accidentia carnis) non ſunt amplius nobis ſignum, & Sacramentum, ergo fruſtra propter nos conſeruantur, & ſi conſeruantur in ſignum omnipotentiæ Dei, & veritatis Euchariſtiæ, vt quid à Deo ita conteguntur, & velantur ſpeciebus carnis, vt percipi non poſſint? ſignum enim vt ſignum debet eſſe notum.

29 Tertium miraculum ponit in reſponſione ad ſecundum argumẽtum vbi dicit, quod propria panis, & carnis accidentia ſimul in eadem quantitate naturaliter eſſe non poſſunt, ſupernaturali tamen virtute ſimul eſſe poſſunt, ſicut conceditur in apparitionibus tranſeuntibus. Sed de tranſeuntibus iam diximus eſſe factam mutationem ſolùm circa colorem, & figuram,

& conſequenter ſub illis ſpeciebus carnis non ſunt propria carnis accidentia, ſed panis. Et nolo modo diſputare, an repugnet propria panis & carnis accidentia ſimul eſſe ſub eiſdẽ dimenſionibus: Sed dico id nullo modo à Deo fieri in iſtis miraculoſis conuerſionibus: nam Deus iſtas miraculoſas conuerſiones efficit, vt ſint infidelibus ſignum veritatis Sacramenti Euchariſtiæ: & cum Deus ſemper ſuauiter omnia diſponat, & ſuis operibus gratiæ, & miraculoſis operationibus nõ deſtruat naturã; ſed illam perficiat, ita ſunt miraculoſæ iſtæ conuerſiones affirmandæ, vt naturæ nõ repugnẽt: quod autem ſpecies panis virtute diuina mutentur in ſpecies carnis, non eſt naturæ contrarium; quæ ſuas mutationes habet, nec eſt à fide alienum: nam legimus, quòd Chriſtus aquam in vinum mutauit: at ſi diceretur ſic aquam à Chriſto in vinum mutatam fuiſſe, vt etiam remãſerit aquæ ſubſtantia, & idem ſimul eſſet aqua & vinum, certè perperam miraculũ illud exponeretur, & philoſophi id impoſſibile, & naturæ contrarium libere affirmarent: eodem modo ſi iſtæ miraculoſæ conuerſiones ſic exponantur, quòd in eiſdem dimenſionibus ſint propria panis & carnis accidentia, ſed non eorum ſubſtantiæ, quia ſub illis eſt Corpus Chriſti; philoſophi irriderent non ſolùm, quia id eſt contra experientiam ſenſus, ſed etiã quia repugnãt: nam ſicut eſt impoſſibile, quòd

idem ſit panis & caro , ita etiam quòd ſimul ſub eiſdem dimenſionibus ſint propria panis & carnis accidentia , nam proprietates dicuntur ad conuertentiam cum illis ſubſtãtijs quarum ſunt proprietates . Simpliciter ergo negandum eſt hoc tertium miraculum, & dicendum eſt , quòd ſub miraculoſis ſpeciebus carnis, vel ſunt ſolùm propria panis accidentia, vt in tranſeuntibus,in quibus facta eſt ſolùm mutatio circa accidẽtia communia panis, vel ſunt ſolùm propria accidentia carnis , vt in permanentibus in quibus acquiritur eſſe ſubſtãtiale .

30 Quartum miraculum eſt illud , quod ponit Egidius , & ipſe negat , ſcilicet quòd Corpus Chriſti ſit ſub illis ſpeciebus ex diſpenſatione diuina:nam dum fatetur propria panis accidentia miraculoſe ſub illis ſpeciebus carnis tandiu conſeruari, conſequenter cogitur concedere , quòd Corpus Chriſti ſub illis ſit ex diuina diſpenſatione .

31 Alij melius reſponderent iuxta eorum ſententiam , quòd propria panis accidentia non perſeuerant ſemper ſub ſpeciebus carnis , ſed tandiu perſeuerant , quãdiu perſeueraſſet ſubſtantia panis ſi adeſſet , & ita ſine nouo miraculo remanent, & quandiu ſic perſeuerant remanet Corpus Chriſti ſub ſpeciebus carnis , quando autem corrumpuntur Corpus Chriſti deſinit eſſe ſub illis ſpeciebus . Verum iſta ſolutio adhuc non ſatisfacit. Primo quidem, quia

cum iſtæ ſpecies permanētes carnis habuerint à principio eſſe ſubſtantiale, cum illis nec per momentum temporis poſſunt permanere propria panis accidentia, quia ſunt illis incompatibilia. Secundò, quia illæ ſpecies permanentes carnis conſeruantur per multos & multos annos in illo eſſe, quod à principio habuerunt, cum eiſdem dimenſionibus, & accidentibus, vt ad ſenſum patet: quandiu ergo conſeruantur propria panis accidentia, quomodo eorum corruptionem fieri, vel factam eſſe cognoſcemus? non enim habent tempus determinatum, ſed aliquando citius, aliquando tardius corrumpuntur, non percipiuntur, & illas ſpecies guſtare non licet. Dicent id poſſe cognoſci ex mutatione ſpecierum carnis. At illæ ſpecies carnis eodem modo perſeuerant, vel ſi alterantur certè non apparet in illis tanta mutatio, & alteratio, quæ ſufficiat ad corruptionem ſubſtantiæ ſi adeſſet. nam ſi non fuiſſet corrupta per tantam alterationem, & mutationem ex ſpeciebus panis in ſpecies carnis, qua ratione dicemus tantillam, & imperceptibilem ferè alterationem eiſdem ſpeciebus ſeruatis ad illius corruptionem ſufficere? per hoc ergo, quod dicitur propria panis accidentia remanere ſub ſpeciebus permanentibus carnis per aliquod tempus ſine nouo miraculo, non tollitur, ſed augetur difficultas, quia contra hoc etiam militant noſtra argumenta, & etiā quia

vt diximus, nulla ratione nobis conſtare poteſt quandiu perſeuerent, vel quando corrumpantur, vel corrupta ſint, vt certo cognoſcere poſſimus quando ſub illis ſpeciebus carnis ſit, vel non ſit Corpus Chriſti, quod certe noſtra maxime intereſt cognoſcere, & conſequenter, vt in vltimo argumento contra vtranque ſententiam dicemus, Chriſtus in re maximi momenti Eccleſiæ ſuæ defuiſſet, quod nullo modo eſt dicendum.

32 Ex quibus ſolutionibus manifeſte patet, quod hac eorum aſſertione, deſtruunt philoſophandi principiũ ex iudicio ſenſuum, pugnantia aſſerunt, impoſſibilia concedunt, & ſuperflua, & minime conuenientia miracula ponunt, quibus hoc Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum infidelibus (propter quos præcipue fiũt iſta miracula) difficilius redditur, & eorum irriſionibus exponitur. nam in anguſtias vi argumentorum redacti, non acquieſcũt veritati, ſed fugam arripiunt, & dicunt, quòd iſtæ ſpecies carnis, quæ ſub claue ſeruãtur, non habent eſſe ſubſtantiale, ſed loco ſubſtantiæ carnis ſub illis ſpeciebus eſt Corpus Chriſti, & quòd ſub illis ſit Corpus Chriſti, ex hoc habemus, quia ſub illis ſpeciebus remanent propria panis accidentia, quæ licèt non appareant, per hoc tamen, quod remanet eadem quantitas panis, cognoſcimus remanere. Et quòd iſtæ ſpecies carnis fundantur in accidẽtibus panis,

& licèt illæ ſpecies carnis videantur habere eſſe quoddam, cui naturaliter conuenire poteſt durare per multos annos etiam quingentos, & mille, tamen quia illud eſſe non eſt ſubſtantiale, ſed accidentale, fundatum in accidentibus panis, miraculoſe conſeruantur, & ſic miraculoſe conſeruatæ, conſeruant propria panis accidentia in quibus fundantur, & licèt miraculoſe per tot annos vltra earum naturalem diſpoſitionem à Deo conſeruentur, nos tamen illas diligenter cuſtodire debemus, quia aliàs facile corrumperentur. Vel ſecundum alios ſic melius dicendum eſt, quòd iſtæ ſpecies carnis per aliquod tempus habuerunt eſſe accidentale, & tunc fundabatur ſuper proprijs accidētibus panis, & ſub illis erat Corpus Chriſti, poſtea autem corruptis proprijs panis accidentibus, habuerunt eſſe ſubſtantiale, & ſub illis deſijt eſſe Corpus Chriſti, quando autem id factum fuerit neſcimus, quia non apparebant propria panis accidentia, ex quibus iudicaremus de corruptione dimenſionum, quæ ſemper videntur eædem, & ſpecies carnis non apparent mutatæ, nec vlla extat memoria, aut hiſtoria tantæ illorum mutationis, vt poſſimus dicere, quòd tunc deſijt ſub illis eſſe Corpus Chriſti, quare in particulari nihil certi habemus quando ſub illis ſit, vel non ſit Corpus Chriſti: Et hoc totum à Deo factum eſt in cōfirmationem, quòd in Euchariſtiæ Sacramento ſub ſpeciebus pa-

nis vi conſecrationis ſit Corpus Chriſti: quæ cum ſint ad credendum difficiliora, vt rationi, & philoſophiæ pugnantia; & ſine vllo fundamento aſſerta, infideles à fide magis auertuntur, Deus autem ſuauiter omnia diſponit, & rerum naturas non deſtruit. Sed tranſeamus ad alia argumenta.

33 Quartum argumentum ex eodem fundamento ſit, quia quantitas eſt accidens commune, & ſe tenet ex parte materiæ, ergo ex ſola quantitate, ſeu dimenſionibus non poteſt iudicari, an adeſſet ſubſtantia panis vel vini, de ſpecifica enim ſubſtantia iudicandũ eſt ex accidentibus proprijs conſequentibus formam. Reſpondebunt, quòd per dimenſiones nõ intelligunt nudas dimenſiones, ſed dimenſiones proprijs panis qualitatibus affectas. Sed non ſoluunt adhuc argumentum: non enim poſſunt ſe defendere à duobus inconuenientibus. Primum, quia cum totum iudicium de ſubſtantia panis & vini, ſi adeſſet, & conſequenter de præſentia Corporis Chriſti, tandem reducatur ad proprias qualitates, & ex illis etiam iudicetur de identitate dimenſionum, & quantitatis, dato quòd quantitas ſit corruptibilis, vt maxime patet cum ex ſpeciebus vini fit acetũ, quomodo cum de iſtis miraculoſis ſpeciebus agitur ad iudicandum, an ſub illis ſit Corpus Chriſti, dimenſiones inſpiciendas eſſe dicunt, nulla facta propriarum qualitatum mentione?

Si dicant ſubintelligi propter neceſſariam connexionem, quam habent cum accidentibus panis, quomodo ſe defendunt à ſecundo inconuenienti, quod eſt petitio principij? nam hanc neceſſariam connexionem ſemper tanquam certiſſimam præſupponunt, & multi Philoſophi, & Theologi dicunt eſſe falſiſſimam, & illam ipſemet S. Thom. in multis locis etiam negauit. Si reſpondent apud illos eſſe certiſſimam, aduertant, quòd iſtæ miraculoſæ apparitiones non fiunt pro illis ſolis, ſed pro omnibus, & propterea regula qua de reali præſentia Corporis Chriſti ſub illis ſpeciebus iudicandũ eſt, debet eſſe non illis ſolùm, ſed omnibus certiſſima.

34 Secundum caput, ex quo alia argumenta ad hominem ſumemus, erit ſuppoſito eorum fundamento, quòd quantitas ſcilicet corrumpatur, & conſequenter, quòd quando remanent eædem dimẽſiones, remaneat Corpus Chriſti: nam licèt illud falſum eſſe credamus, ad maiorem tamen veritatis confirmationem, vt verum ſupponamus, & ſit.

Quintum argumentum quo ex eodem S. Thom. probatur, quòd ex ſolis qualitatibus, & non ex quantitate iudicandum ſit, de reali præſentia corporis Chriſti, & argumentum gradatim ex eorum ſolutionibus deducetur. Si ſpecies vini corrumpantur, & fiat acetum, certum eſt, vt etiam dicit S. Thom. quòd ſub il-

lis

lis non eſt amplius ſanguis Chriſti, & tamen remanet eadem quantitas cum eiſdem dimenſionibus. Dicent ex hoc, quod factum eſt acetum, corruptam eſſe priorem quantitatem, & non eſſe amplius eaſdem dimenſiones; At ſenſus iudicat eſſe eaſdem. Dicent ſenſum decipi. Sed vnde cognoſcitur ſenſum decipi? Dicent, quia non percipiuntur amplius ſapor, & odor vini, ſed aceti. Ita etiam dicam ipſis, cum non appareant amplius accidentia panis conſequentia eius formam, ſed ſola accidentia carnis, mutata eſt etiam quantitas, & non eſt eadem, idque eo magis, quia ſenſus iudicat eſſe aliam quantitatem, cum ſub forma carnis, alia figura, & aliæ dimenſiones appareant. Et vt melius intelligatur vis huius argumenti, quod iudicio meo eſt inſolubile, notandum eſt, quòd ſuppoſito quantitatem eſſe corruptibilem, an ſit eadem quantitas non poteſt cognoſci ſolò ſenſu, ſed ratione ſumpta ex qualitatibus ſenſibilibus conſequentibus formam. nam dicunt ipſi, quòd cum moritur, verbi gratia, æthiops vulneribus plenus, eodem inſtanti quo ſeparatur anima à corpore corrumpuntur omnia accidentia etiam ex parte materiæ ſe tenentia, & producuntur prorſus ſimilia, vt videantur eadem, & ita ſecundùm ipſos non eſt eadem quantitas, nec eadem figura, nec eadem nigredo, nec eædem cicatrices, & ſic de alijs accidentibus, ſed tamen ſunt adeo ſimilia, vt ex

cadaueris inſpectione ſtatim cognoſcatur quis fuerit mortuus. Ex hac eorum doctrina tale contra ipſos formo argumentum. Nullo ſenſu poteſt percipi ſeparatio formæ à materia, cum materia, & forma, & ſubſtantiæ ex eis compoſitæ, ſint per ſe inſenſibiles, & non niſi per accidens, per earum ſcilicet accidentia ſentiantur: obiecta enim ſenſuum ſunt accidentia: ergo cum omnis noſtra cognitio à ſenſu oriatur, ſeparatio formæ à materia, & ſubſtantiæ corruptio ex corruptione accidentium eius cognoſcitur. Sed quantitas, dimenſiones, & accidentia, quæ ſe tenent ex parte materiæ, per eos, ita ſunt corrupta, vt in eodem inſtanti imperceptibiliter ſint producta ſimilima, & impoſſibile ſit illa à prioribus ſenſu diſcernere, cum prorſus eodem numero videantur; vt dixi de æthiope, & quotidie ad ſenſum patet in animalium, & plantarum morte: ergo corruptio ſubſtantiæ, quantitatis, & dimenſionum, non ex ipſis dimenſionibus, ſed ex ſolis accidentibus ſenſibilibus formam cõſequentibus accipienda eſt: nam ex corruptione ſubſtantiæ inferunt corruptionem quantitatis, & corruptio ſubſtantiæ ſic cognoſcitur: ex hoc enim ſolùm cognoſcimus hominem, & quodcunque animal mortuum eſſe, quia non amplius ſentit, nec mouetur: ſimiliter etiam de corruptione vini, & aliorum liquorum, & de corruptione eorum dimenſionum non ex ipſis di-

menſionibus, ſed ex odore, & ſapore iudicamus: ſi autem ex ſolis dimenſionibus de ſubſtantiæ corruptione iudicandum eſſet, quaſi illis manentibus perſeueret eadē ſubſtantia cum ſuis proprijs accidentibus licèt non appareant, imò etiam ſi appareant alia propria alterius ſpeciei accidentia, nunquam patiendum eſſet hominum cadauera tam cito ſepelliri, ne forte viuant, & viui ſepelliantur, ſicut aliquibus accidit, ſex expectandum eſſet donec dimenſiones, & figura, ita corrumpantur, quod de earundem dimenſionum corruptione nullo modo dubitari poſſit.

35 Sextum argumentum ex eodem capite deſumptum, quia dicunt, quòd remanentibus eiſdem dimenſionibus panis ſub ſpeciebus carnis remanet Corpus Chriſti, ego autem ſub ſummo, ſed nunquam remanent eædem dimenſiones, ergo nunquam remanet Corpus Chriſti. Et quòd in iſtis miraculoſis apparitionibus nunquam ſint eædem dimenſiones, vel ſaltem nunquam certo poſſit cognoſci, an ſint eædem; probatur: nam quid intelligunt per dimenſiones? ſi longitudinem, latitudinē, & profunditatem, ſicut vere, & propriè intelligendum eſt, cum ſemper mutetur figura, neceſſariò etiam ſemper mutantur dimenſiones: cum enim ſint fundamentum figurę, ſicut qualitas ſimilitudinis, quantitas æqualitatis, & numerus proportionis, non poteſt mutari figura

niſi diminuatur vna dimenſio, augeatur altera, & pars, verbi gratia, lōgitudinis trāſeat in profunditatem. Si autem per dimenſiones intelligunt ſimpliciter quantitatem, & eorum ſenſus ſit, ſi manēt dimenſiones prioribus dimenſionibus correſpondentes, præterquam quod improprie loquuntur, cum mutetur figura difficile eſt cognoſcere, an nouæ dimenſiones correſpondeant prioribus, vt nihil ſit auctum, nec diminutum, hoſtia etiam aliquando eſt maior, aliquando minor, & in Calice aliquando ponitur parum vini aliquando multum, & quando fiunt iſtæ apparitiones ſæpe non habetur ratio præcedentis quantitatis, & poſtea quando iudicandū eſt de reali exiſtentia Corporis Chriſti, non eſt qui recordetur præcedentis quantitatis, ergo ſecūdùm eorum doctrinam nullam habebimus certam regulam, qua de particularibus cognoſcamus quando ſit, vel non ſit Corpus Chriſti, ſed ſolas coniecturas, quod eſſet maximum abſurdum.

36 Tertium caput ex quo alia ſumuntur argumenta eſt debilitas ne dicam falſitas fundamenti ipſorum de dimenſionibus, & ſit.

Septimum argumentum, quia eorum ratio ob quam aſſerunt, quòd remanētibus eiſdem dimēſionibus remanet Corpus Chriſti, eſt admodum debilis, quia ſcilicet dimenſiones ſunt fundamentum aliorum accidentium, & ſunt principaliores, & gerunt vicem ſubſtantiæ;

nam quòd dimenſiones ſint principale accidēs eſt falſum: ſicut enim principalis pars ſubſtantiæ eſt forma, ita etiam accidentia conſequentia formam, & quæ ſe tenent ex parte formæ ſunt principaliora illis, quæ ſe tenent ex parte materiæ, qualis eſt quantitas. Illa etiam ratio, quia ſcilicet dimenſiones ſunt fundamentum aliorum accidentium, eſt falſa: nam licèt deſtructo fundamento & priori deſtruantur omnia poſteriora, non tamen propterea deſtructo poſteriori deſtruitur id quod prius eſt, præſertim quando prius latius patet, ſicut quantitas, quæ eſt accidens commune, & fundamentum aliorum omnium accidentium: quod argumētum eſt eiuſdemmet S. Thom. ad hoc idem probandum, quòd ſcilicet quantitas in rerum corruptione nón corrumpatur 4. 5. d. 12. q. 1. artic. 2. q. 4. & d. 44. q. 1. art. 1. q. 1. ad 3. Illa etiam ratio, quia quantitas in Sacramento Euchariſtiæ eſt virtus ſubſtantiæ, & habet locum ſubſtantiæ, eſt nulla: nam quantitas nudæ conſiderata cum ſit accidens materiæ, & ſe teneat ex parte materiæ, non eſt virtus niſi ſolius materiæ, & illius ſolùm locum tenet, ſed quatenus ſuſtat proprijs panis accidentibus, eſt virtus ſubſtantiæ panis, & eius locum tenet, ſicut igitur corrupta forma remanet materia, ita etiam corruptis proprijs accidentibus ſenſibilibus panis & vini, quæ ſine corruptione ſubſtantiæ ſi adeſſet corrumpi non poſſent, remanet quantitas.

37 Octauum argumentum eſt, quia fundamentum illius ſentẽtiæ, quòd ſcilicet remanentibus eiſdẽ dimẽſionibus remaneat Corpus Chriſti, cui ſoli innititur; ſi non eſt falſum, ſaltem eſt dubium, ſcilicet quòd ſit neceſſaria connexio inter quantitatem, & propria cuiuſlibet ſubſtantiæ accidentia, ita vt ſi manet eadem quantitas, neceſſariò etiam remaneant propria illius ſubſtantiæ accidentia, etiam ſi non appareant, cum multi Philoſophi & Theologi dicant quantitatem eſſe ingenerabilem, & incorruptibilem, & coæuam materiæ: quam ſentẽtiam tenuit etiam aliquando in multis locis ipſemet S. Thom. vt 4. 5. diſt. 12. quæſt. 1. art. 2. q. 4. & diſtin. 44. q. 1. art. 1. q. 1. ad 3. 4. cont. gent. cap. 51. & 7. Metaphyſ. ſuper tex. 8. & Caiet. & Capr. præcipui Thomiſtæ fatentur S. Thomam vere fuiſſe aliquando illius ſententiæ. Ergo ex illo fundamento in re tanti momenti non poteſt ſumi certum ſignum & argumentum realis præſentiæ Corporis Chriſti: nam ſi quantitas iuxta aliorum ſententiam nunquam corrumpitur, & ex ea ſumitur ſufficiens argumentum, ſequeretur quòd Corpus Chriſti nunquam deſineret eſſe ſub illa quantitate, non obſtantibus quibuſcunque mutationibus. Si dicant apud eos, qui non dubitant de hac neceſſaria cõnexione, ſumi certum iudicium. Reſpondemus illis quòd hoc miraculum non eſt factum ſolùm propter illos, ſed propter omnes, & ſi Corpus Chriſti eſt

ſub illis ſpeciebus, non eſt vt ab illis ſolis adoretur vt præſens, ſed vt ab omnibus: ergo ratio qua probatur Corpus Chriſti eſſe ſub illis ſpeciebus, debet eſſe omnibus certa, vel talis auctoritas cui contradicere non liceat, qualis non eſt eorum auctoritas.

38 Reſpondebunt, quòd illa regula eſt certa etiam ſecundùm illos, qui dicunt quantitatem eſſe coęuam materiæ, nam intelligitur de dimenſionibus, vt ſunt dimenſiones panis, quatenus ſcilicet ſunt terminatæ à forma ſubſtantiali panis: nam terminatio eſt à forma ſubſtantiali, & quando corrumpitur forma, corrumpuntur terminationes quantitatis, vt ſunt ab illa forma. Sed iſta ſolutio eſt nulla, nam quamuis terminationes quantitatis ſint propter formas, tamen ſunt ab agentibus illam diuidentibus, cum ex diuiſione reſultent. Et prætereà licèt cuilibet formæ ſubſtantiali conueniat determinata quantitas, non tamen ita eis conuenit, quin diuerſis formis ſubſtantialibus eadem numero determinata pars quãtitatis, & eædem numero dimenſiones eiſdem prorſus terminis terminatæ ſucceſſiue conuenire poſſint, ſic forma cadaueris ſuccedit animæ viuentis, & forma aceti formæ vini, eiſdem numero dimenſionibus remanentibus: ſicut licèt quælibet forma requirat determinatam partem materiæ, non ita tamen illam requirit, vt eadem prorſus pars materiæ ſine vlla eius additione,

vel diminutione non poſſit ſucceſſiue diuerſis formis ſubſtantialibus informari; eadem autem eſt vtriuſque ratio, cum quantitas ſit paſſio materiæ. Dato etiam illis, quod ſemper mutata forma ſubſtantiali mutentur etiam termini quantitatis, vt ab illa dependentes, quomodo cognoſcetur variatas eſſe dimenſionum terminationes, vt ſunt alicuius formæ ſubſtantialis? nam terminationes dimenſionum formæ ſubſtantialis non conſiſtunt in indiuiſibili, ſed habent maximum, & minimum intra, quæ innumeras recipiunt terminationes; & in iſtis miraculoſis conuerſionibus cum mutetur figura perceptibiliter acquiruntur alij termini, & termini dimenſionum iſtarum ſpecierum carnis ſunt intra latitudinem maximi & minimi ſubſtantiæ panis, & ſicut fuerunt intra eandem latitudinem à principio miraculoſæ conuerſionis, ita etiam ſunt poſt mille annos, quando tamdiu durant, vt ad ſenſum patet. Et contra hanc ſolutionem faciunt etiam argumenta ex ſecundo capite ſumpta.

39 Quartum Caput ex quo alia ſumuntur argumenta eſt ratione Sacramenti Euchariſtiæ, & ſit

Nonum argumentum: Sacramentum eſt ſignum ſenſibile, & habet materiam ſenſibi-

lem, & omnibus notam; quæ non caret myſterijs: ergo ſi permanentia Corporis Chriſti ſub iſtis ſpeciebus carnis non eſt ex diſpenſatione diuina, ſed vi Sacramenti ratione propriorum panis ſeu vini accidentium, accipienda eſt; non quomodocunque ex illis ſpeciebus, ſed quatenus perſeuerant propria panis accidentia omnibus notiſſima, & vt talia ab omnibus cognita: quia vt talia ſunt ſigna, & pertinent ad Sacramentum, & per conſequens non eſt accipienda præſentia Corporis Chriſti ex dimenſionibus, etiam vt ex illis ratiocinamur de proprietatibus occultis; quia non ſunt ſigna ſufficientia panis, & vini etiam apud multos doctiſſimos, vt diximus.

40 Contra vtrunque etiam modum dicendi, quod Corpus Chriſti ſit ſub iſtis ſpeciebus carnis permanentibus eſt.

Decimum argumentum, quia Deus defuiſſet Eccleſiæ ſuæ in re maxime neceſſaria: quod nullo modo dici poteſt: Et quod defuiſſet probatur, quia ſi Corpus Chriſti eſt ſub illis ſpeciebus, debet venerari, & adorari, vt præſens; & ibi realiter exiſtens, & talis honor ei à nobis debetur, & ab eo requiritur: vt autem ſic eum veneremur, debemus eſſe certi de eius reali exiſtentia ſub illis ſpeciebus: & Chriſtus per ſe, vel per Eccleſiæ determina-

tionem debuiſſet de hoc nos certos reddere, ne in re tanti momenti erremus, vel non reddendo ej debitum honorem, vel adorando illum, vt præſentem ibi vbi non eſt, idque eo magis, quia iſtæ ſpecies non apparent ad modicum tempus, vt poſſit ſuſpendi iudicium, & interim ſub conditione adorari, ſed ſunt permanentes: & tamen de hoc nullam determinationem habemus, & qui dicunt Corpus Chriſti ſub illis ſpeciebus exiſtere, propria auctoritate, & debiliſſimis rationibus mouentur: nam Egidius dicit ſub illis eſſe ex diſpenſatione diuina, ſed quia hæc diſpenſatio nullibi habetur, meritò ab omnibus relinquitur. Alij dicunt ſub illis eſſe ratione propriorum panis accidentium, quæ licèt non appareant, probantur tamen ex remanentibus dimenſionibus: quod autem quantitas corrumpatur, & quod dimenſiones remanentes ſint ſufficiens illorum argumentum, multi etiam doctiſſimi falſum eſſe aſſerunt. Sed id eis etiam conceſſo, quomodo cognoſcetur dimenſiones illas eſſe corruptas, vt cognoſcamus ſub illis non eſſe amplius Corpus Chriſti? nam ſi non ſunt corruptæ in ipſa ſpecierum tranſmutatione, in qua etiam nouos terminos, & nouam figuram habuerunt, & ſub ſpeciebus carnis ſemper videntur eædem, & non

percipiuntur propria panis accidentia, vt ex illis earum deſtructio colligatur, nec vlla exiſtit memoria, aut hiſtoria, quod illæ ſpecies carnis, ita ſint mutatæ, vt nouam quantitatem, & nouum eſſe acquiſierint; nec vllum habent certum, & limitatum tempus in quo neceſſariò corrumpantur, nonne omnia, quæ dicuntur de permanentia propriorum accidentium panis, & conſequenter de exiſtentia Corporis Chriſti ſub illis ſpeciebus carnis, gratis, & ſine fundamento dicuntur? & qualis eſt illa doctrina, & regula vniuerſalis, ex qua nulla poteſt alicuius ſingularis haberi certa cognitio?

41 Et ſi auctoritates deſiderantur, dicimus, Sanctos & antiquos Doctores de hac re nihil dixiſſe, ſed ſolùm aliqui ſcholaſtici non ex profeſſo, ſed obiter aliquid dixerunt, quorum aliqui dubitatiue loquuntur, vt Alexand. & Gab. Biel. Egidius, quia nouam diſpenſationem ſine auctoritate admittit, vt diximus, reijcitur. Sententia quam tenui, quòd ſcilicet Corpus Chriſti non ſit ſub ſpeciebus carnis permanentibus, eſt expreſsè Durandi: videtur etiam eſſe Alberti: nam quando dicit Corpus Chriſti eſſe ſub ſpeciebus, loquitur de tranſeuntibus, & quo ad permanentes videtur ſolùm velle, quòd ſeruentur, vt reliquiæ Sanct. Thom. dicit, quod Corpus Chriſti eſt ſub ſpe-

ciebus carnis remanentibus eiſdem dimenſionibus. Alij fere omnes contenti ſola auctoritate Sanct. Thom. eius verba referunt. Sed quo ad Sanct. Thom. ſicut dubius fuit de illo philoſophico fundamento, quod præſupponit: aliquando enim tenuit quantitatem eſſe coæuam materiæ, vt diximus, ita etiam aliquando conſequenter tenuit exiſtentiam Corporis Chriſti non penes dimenſiones, ſed ſolùm penes propria panis & vini accidentia ſumendam eſſe, nam 3. par. quæſt. 77. artic. 4. vult quòd etiam ex ſolarum qualitatum corruptione deſinat eſſe Corpus Chriſti, & quòd earum corruptio ſit ſufficiens ſignum, & argumentum, imò ratione ſolarum qualitatum vult ex dimenſionibus argumentum ſumi: nam inquit, quòd ſi fit talis immutatio ex parte accidentium, quæ ſufficiat ad corruptionem panis & vini, non remanet Corpus & Sanguis Chriſti, & hoc ſiue ex parte qualitatum, ſicut cum immutatur color & ſapor & aliæ qualitates panis & vini, quod nullo modo poſſent pati naturam panis aut vini, ſiue etiam ex parte quantitatis. Vbi cum diſiunctiue loquatur, ſignificat, quòd ſola qualitatum corruptio ſufficiat. Ex parte autem quantitatis non quamcunque immutationem requirit, ſed ſpecificat de diuiſione in minimas particulas, ita vt diuidantur minimæ eorum

partes ſub quibus poteſt eſſe ſubſtantia panis & vini, ſed non ſub minoribus: nam ſicut in æterogeneis, ita etiam in homogeneis datur minimum, vnde ſubdit, puta ſi pulueriz etur panis, vel vinum in tam minimas partes diuidatur, vt iam non remaneant ſpecies panis & vini. Cum ergo immutatio ex parte quantitatis debeat eſſe tanta, vt corrumpantur qualitates panis & vini, & ſola corruptio qualitatum ſufficiat, penes ſolas qualitates iudicandum erit, nam an diuidantur minimæ partes, ex qualitatibus accipiendum eſt, & videndum, an facta illa diuiſione adhuc percipiantur qualitates panis, & conſequenter ex ſententia Sanct. Thom. tenendum eſt, quod ſub ſpeciebus carnis permanentibus non ſit Corpus Chriſti, quod clarius patet 4. 5. diſtinctione decima. quæſtione prima. artic.4. quæſt.3. vbi vult huiuſmodi ſpecies permanentes, vt reliquias, & inter reliquias ſeruari. Ad id autem quod in d. artic. 8. quæſt. 76. dixit, quod remanentibus eiſdem dimenſionibus remanet Corpus Chriſti, dicimus, quòd locutus eſt ſecundùm aliam ſententiam, quam etiam tenuit de quantitate, & quòd intellexit de ſpeciebus carnis tranſeuntibus: & ſi aliquis contendere velit, quòd etiam loquitur de permanentibus, dicimus, quòd ſibi contradicit, & cum non iurauerimus in eius verba, illum

hac ex parte non ſequimur. Si hanc quæſtionem tractarent illi, qui tenent in rerum corruptione multa corrupti accidentia remanere ingenito, qui multi ſunt, & Philoſophi, & Theologi, & plures quam ſint illi contrariæ ſententiæ, ſic conſequenter neceſſariò tenerent, niſi vellent cum Egidio nouam diſpenſationem diuinam ſine auctoritate aſſerere.

42 Nulla eſt Eccleſiæ de hac re determinatio, cum nulla fuerit ſuborta controuerſia, & res apud doctos ſit clara, & ſi aliquando propter ſimplices dubitatum fuit, ſacra Illuſtriſſimorum Cardinalium Congregatio interrogata, reſpondit illas ſpecies ſolùm, vt reliquias ſeruandas eſſe, prout accidit in quodam Vmbriæ loco, vt mihi dixit eiuſdem loci Vicarius, qui Sacræ Congregationi ſcripſit, & reſponſum accepit. Et cum in quodam Ætruriæ loco celebraretur propria Miſſa de iſtis ſpeciebus carnis, & ſpecies ipſę cum tintinnabulo proceſſionaliter portarentur, Viſitator Apoſtolicus Miſſam illam, & Ordinarius tintinnabulum prohibuerunt, vt hinc facilè omnes intelligerent maximam eſſe differentiam inter illas ſpecies, & Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, & quòd illæ ſpecies ſunt quidem adorandæ adoratione latriæ, ſed eo modo

quo adorantur Crux, & claui. Videmus etiam quòd Eccleſia in omnibus locis in quibus reperiuntur huiuſmodi ſpecies; illas, vt reliquias, & inter reliquias ſeruat: ſi autem teneret ſub illis eſſe Corpus Chriſti, illas pari cultu, & reuerentia quo Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, luminibus perpetuò accenſis, & ſumptuoſiſſimis tabernaculis conſtructis conſeruaret, quare hæc ſententia ſimpliciter eſt dicenda communis.

43 Concludamus igitur, quod quando fiunt huiuſmodi apparitiones, donec cognoſcatur, an ſint permanentes, vel tranſeuntes ſuſpendendum eſt iudicium; & conditionate debet adorari Corpus Chriſti, caſu quòd ſub illis exiſtat, & ſi apparet ſub ſpecie pueri ſimpliciter poterit adorari, vt præſens: nam quando ſpecies ſunt permanentes apparet fruſtum carnis: Et ſimulatque cognoſcitur illas ſpecies carnis eſſe permanentes, tenendum eſt ſub illis non eſſe Corpus Chriſti realiter, ſed tanquam in ſigno, & propterea illæ ſpecies ſunt tanquam reliquiæ reuerenter conſeruandæ, & adorandæ adoratione latriæ eo modo quo adoramus Crucem, Spinas, & Clauos: quia ſunt à Deo miraculosè factæ, & ex ſpeciebus ſub quibus realiter fuit Corpus Chriſti, & ſunt nobis à Deo relictæ in ſignum, & argumentum realis præſentiæ Corporis Chriſti ſub ſpeciebus

panis; & Deus etiam per illas orationes noſtras exaudit, & ſua dona nobis concedit, non vt in illis ſiſtamus, ſed vt per illos ad Euchariſtiæ Sacramentum tranſeamus, & in eius fide magis roboremur, & ad eius frequentiorem ſumptionem magis accendamur. Et hæc dicta ſufficiant ſaluo meliori iudicio, & præcipue Sanctæ Eccleſiæ Romanæ, cui in omnibus me ſemper ſubmitto.

FINIS.

BIBLIOTECA ... ROMA ... VITTORIO E...

INDEX RERVM notabiliorum, quæ in hoc opere continentur.

SPecies miraculoſas carnis adorandas eſſe adoratione latriæ certum eſt. nume. 1.

Quod caro miraculoſa ex ſpeciebus panis, quæ à multis annis ſeruatur, ſit vera caro. nume. 23.

Caro miraculoſa, quæ viſibiliter apparet, ex ſpeciebus panis facta, non eſt ipſamet Chriſti caro. nume. 3.

Species miraculoſæ carnis quædam ſunt tranſeuntes, quædam permanentes, nume. 4. & quanta ſit inter illas differentia. num. 23. 24. & ſeq.

Sub ſpeciebus carnis tranſeuntibus remanet Chriſti Corpus. num. 4.

Sub ſpeciebus carnis permanentibus non remanet Corpus Chriſti, nec ex diſpenſatione diuina. nume. 6. & 40. nec

vi Sacramenti, ratione ſcilicet propriorum panis accidentium. nume. 15. & ſequen.
Ex proprijs panis accidentibus ſumitur certiſſima regula ad diſcernendum quandiu remanet Corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis. num. 8.
Explicatur ſententia tenentium Corpus Chriſti eſſe ſub ſpeciebus carnis permanentibus vi Sacramenti. nume. 7.8.9. 10. & 17.
Quòd propria panis accidentia non ſint cum ſpeciebus carnis permanentibus, & conſequenter ſub illis ſpeciebus carnis non remaneat Corpus Chriſti vi Sacramenti probatur decem argumentis ex quatuor capitibus deſumptis à numero 15. vſque ad finem.
Quòd iſta quæſtio non ſit de nomine. numero 9.
Quòd ſpecies carnis permanentes non contineant Corpus Chriſti, ſed ſint ſolùm, vt reliquiæ conſeruandæ, & adorandæ adoratione latriæ, videtur communis ſententia, & ita videtur tenere

nere

nere Eccleſia, licèt nullam determinationem fecerit. num.41.& 42.
Operis concluſio, & breuis, & facilis veritatis elucidatio. num.43.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE